



1798.

\*  
1. Bonn

orchi

mer

\*  
2. Markt

950

rech

Han

\*  
3. Hagen

Bragg

21

\*  
4. Lübeck

Rospo

decam

annis

de

\*  
5. Tübingen

et 1791.



*1797.*

*1798, 13.*

OBSERVATIONES  
EDICTO VIARIO  
AEDILIVM CVRVLIVM

ADSPERSAE

---

ORATIONI  
MVNERIS PROFESSORIS

SOLLEMNITER AVSPICANDI CAVSSA

A. D. XXVI. SEPT. A. C. C<sup>I</sup>CC<sup>X</sup>C<sup>V</sup>III

RECITANDAE


PRAEMISIT

CHRISTIANVS GOTTHELF HÜBNER

PHILOSOPHIAE ET IURIS VTRIVSQUE DOCTOR IURIS PROFESSOR PVBL. EXTRAORD.  
ADVOCATVS IN NUMERVM RECEPTVS

---

LIPSIAE  
IMPRESSIT CAROLVS TAVCHNLTZ.



OBSERVATIONES  
EDICTO VIARIO AEDILIVM CVRVLIVM  
ADSPERSAE  
SIVE  
DE CANE QVA VULGO ITER FIT NON HABENDO.

CAP. I.

*Ad Lectorem.*

*Date operam et cum silentio animaduertite  
Vt pernoscatis, quid sibi auctor velit.*

Cum scribendi materiam ex prudentia politica mihi sumerem, ut adesset, quem prolusionis instar, orationi praemitterem auspicali, libellus, laetitiae meae et honoris, quem SVMMI PRINCIPIS beneficio acceptum fero, veluti nuncius et praeco, non eram nescius, rem esse aleae plenam et laboris, de rebus ex eo genero disserere, quas non satis est legum, antiquitatis et historiarum luce collustratarum exemplis adlatis expositas dedisse, ni iudicii prudentis adcesserit vis quaedam, rerum vsu confirmata et subacta, qua, quae bene sint et prudenter instituta, quaque minus, et quae aliqua emendatione indigeant et quanam, manifestum et testatum reddatur. Quam ingenii humani virtutem, ciuilium institutorum exploratricem, eorumque, quae publice priuatimque obsint, vindicem, etsi alienam ab aetate iuuenili et

senili grauitati propriam existimarem, ea tamen periculi et difficultatis cogitatione et cogitatione praecepta, non tantum apud me valuit, vt me pro virili parte in ea re laborantem, ad consilium, animo meo susceptum, omnino abiiciendum adducere posset. Nam cunctantem me mihi ipsi multa calumniantem, ad perficiendum, quod institueram, QVINCENTILIANI pepulit auctoritas; nil differendum est, inquietis, ad senectorem. Nam quotidie metus crescit, maiusque fit semper, quod ausuri sumus, et dum deliberamus, quando incipiendum sit, incipere iam serum est. Neque vero quemquam esse futurum existimo, cui, quod ad *Edictum, ne quis canem,* disputare constitui, in re abiecta sat, et nimium tenui eaque, quam iam sustineo, persona vix digna versatus videar. Quod si vero quis sit, cui istud nulla alia ex causa, nisi ex nimio otio vel leuitate quadam factum videatur, is quaeso cogitet, me habere bonorum exemplum, quo mihi, quod illi fecerunt, licere id facere, putauerim, neque esse quidquam in vasto iurisprudentiae politicae ambitu adeo exiguum et inglorium, quin, cum ad humanam salutem referri possit, studiis nostris et cura dignum iudicetur. Nam de ludicris hic non agitur, de quibus quasdam viros magnae doctrinae multaeque existimationis non puduit exposuisse. Neque nos cum ista meditaremur, *Kluueros Pegiosque et nonnullos alias, qui gregatim pascuntur, sumus secuti, quorum, quam putida fuerit diligentia, et misera, neminem, qui eorum libros inspexerit, (legi enim vix possunt,) latere potest.* Nobis quidem maius quiddam et excellentius fuit propositum, scilicet illud, vt *STRAVCHIORVM, WINTGENSIORVM ET OTTONVM*<sup>1)</sup> vestigia persecuti, edicti aedilitii eam partem, quae viarum publicarum securitati prospexit, admixtis variis generis obseruationibus, a prioribus, ni fallimur, praetermissis, illustraremus et cum aliis id genus legibus comparatam et ad normam rectae rationis exactam et πολιτικῶς explicatam examinaremus. Quod reliquum est, nolim hic lectores exspectent aliquid de πονοφορᾳ, poenae causa a maioribus imperari solita, cuius etiam *CVIACIVS* meminit *Obss. lib. II. c. 22.* — Nec

<sup>1)</sup> *WINTGENSTANAE* diss. ad l. 40. D. de Ed. Aed. quae in *thes. Oelrichs.* T. I. n. 14. migravit, auctor haud dubie est ev. OTTO, cuius commentarius ad hanc Edicti Aedilit. partem in libro de *tutela viarum publicarum* (*Fref. ad Rhen. 1731.* p. 425-470. illi libello tam est similis, vt ouum neges uno esse similius. In utroque verbum verbo conuenit, nisi, quod Ottonis quasdam adcessiones habet.

quidquam hic de *littera canina* et canis nomine ad conuicia tracto, quo de argumento  
quaedam me legisse scio in PET. FABRI *semestr.* lib. I. p. m. 64. et in *commentariis*  
ad Persii satiras. Neque est, quod hoc loco dicatur, de notatione canis, de qua  
sis vide *VARRONEM* lib. 4. *lat. ling.* I. et c. *SCALIGERVVM* cap. 26. de *caus. ling. lat.*  
— vel de canibus mirae in dominos fidei, cuius generis exempla nonnemo nuper  
integro libro, Viennae excuso, est complexus, — vel de mulierculis, imo, viris,  
vt solos *Lipsium* et I. C. *SCALIGERVUM* commemorem, canum amantissimis, — vel  
de canibus Melitaeis, quos *Plinius* descripsit, vel de Bononiensibus, quos nostri  
in deliciis habent, — vel de monumentis, titulis, inscriptionibus, in canum, si  
fas est ita loqui, memoriam exstructis, positis, scriptis, quorum longum texere  
indicem, talia colligenti non difficile fore putauerim, — vel, quod forsitan apud  
pragmaticos fraudi mili erit, de canum tuguriolis, sintne aedium, an non — vel  
de cane cum parricida in culleo insuto, de quo adfert quaedam *SCHVLTINGIUS*  
in *Iurispr. A. p. m. 870.* — vel de *caniculo*, de quo legi meretur I. *AVERANIUS*  
in lib. de *iure ludorum, in monumentis eius posth.* Florent. 1769. 4. editis, — vel  
de *diebus canicularibus*, de quibus C. *WILDOGEL* exposuit vel de similibus argu-  
mentis, quae praetermissa esse, non vereor, ne quisquam vitio mili d'et eiusmodi  
non consecstanti. Deinde, quoniam summe optandum est, vt canum alendorum  
studio, (dicam an libidine), publice priuatimque pestifero, refraenato, pericula  
ab eorum rabie, vt de aliis molestiis iam non dicam, metuenda, declinetur et  
caueantur, maiore quodam studio in id incumbendum esse duxi, vt, quemad-  
modum id commode fieri posset, quod reipublicae constat fore saluberrimum,  
pro virium modulo ostenderem. Quod quamquam forte ego vsque quaque adsecutus  
non sum, honestam tamen meam voluntatem, quae vel sola in rebus arduis laudari  
solet, peritos aequosque huius libelli arbitros boni consulturos esse non diffido.  
Nam, vt ille, difficile est, vt, qui homo sit, non in multis peccet, quaedam videlicet  
penitus ignorando, quaedam vero male iudicando, et quaedam tandem negligentius  
scriptis tradendo. Verum ista hactenus.

## C A P. I I.

*De damno a bestiis dato, vniuerse. Quis eo teneatur? Cur dominus bestiae? Examen legum, et rationes in daga tae. Legi 1. §. 11. D. si quadr. lux illata. Quid sit damnum secundum vel contra naturam datum, aliter ac vulgo, explicatur.*

De damno ab animantibus, quae ratione carent, quod, vbi contra naturam generis factum, pauperies Romanis dicebatur, tam *cavendo*, quam *praesando*, varia variarum gentium legibus praecepta et constituta leguntur, quorum, quo maior est dissimilitudo et discrepancia, eo accuratior inspectio et contemplatio necessaria videtur. Scita legum Mosaicarum, Romanarum et Patriarum, qui continuo enarrant ordine, diligentiae laudem et congerendi industriam non frustra adfectantes, non desuerunt, inter quos facile princeps JOHANNES THOMAE, prolixu libri auctor. 2) Verum haec et alia non satis nosse iuuabit, nisi sciamus, quid de toto hoc genere esse sentiendum, recta nos ratio, et prudentia civilis doceat. Singularum enim iuris nostri thesium origines et fata, nec non, quid nostrorum temporum vsus ferat, cognita memoriter tenere, quamquam sit fructuosum et ad variae eruditio[n]is laudem et multae lectionis famam conciliandam idoneum, tamen, haec omnia, qui magis memoria quam iudicio complecti didicerunt et super iis philosophari, ita, vt, quid in quolibet genere optimum videatur et rationi conuenientissimum, a qua, quae legibus civilibus sunt expressa, quam prope longeque absint, iudicare queant, ii, ex hoc labore, an eum fructum, qui mihi valde optabilis videtur, percepirent, valde dubito. Quam

---

2) IOH. THOMAE tr. de noxa animalium, continens pauperiei, pastus, edicti de animalibus ferociis et q. s. r. Frs. ad M. 1690, 8. FR. AD. VAN DER MARCK disp. de eo, quod iustum est circa pauperiem ab animalibus factam. — Ling. 1781. 8. editam, in aduersariis mihi notata[m], oculis usurpare nondum licuit.

opinionem, quoniam non ignoro, prudentissimorum hominum iudicis confirmari, non esse potest dubium, me, si nonnulla de naturalibus ex hoc genere praeceptis praemiserim, in nemini non iniqui reprehensionem esse incursum.

Si bestia, nullo discriminе posito, sit fera, an cicurata, an mansueta, quadrupes, an pecus, quorum nominum subtilitatem sola ciuilis ratio nouit, cuidam nocuerit, quounque modo, naturalis simplicitas discrimen facere videtur, vtrum fuerit alicuius, an nullius. Sane, si brutum in nullius potestate custodiaque constitutum, quod libere vagatur in terra, mari, aere, damnum homini dederit, id a nemine praestatur. Casus enim, qui consilio humano preevideri vel euitari non potuerunt, non dubitatur, a nemine praestari. Quod verum esse, satis liquet. Est tamen singularis species, vbi haec regula officium perdere *videtur*. Nam in quibus ciuitatibus contra naturam ferarum bestiarum occupatio libera non est, sed venatio longaeuo vsu ad proceres imperii transit iure regalium, vt adeo priuati ea non vtantur, nisi ex iure a principibus ipsis concesso, in his, si, quod non raro fit, ferorum animalium, iniqua cura nutritorum ferocia aut voracitate priuatorum agris et frugibus multum adferatur damni, id preestandum videtur ab eo, cuius causa numerus ferarum nimium creuit. Quam sententiam, si vel nullus idoneus auctor defenderet, naturalis aequitas, qua, qui occasionem preestat, damnum fecisse videtur, teste *PAVLO* in l. 30. §. 3. D. *ad leg. Aquill.* ita docet perspicue, vt, qui contra sentiat, peius velle videatur. In qua contraria sententia paucissimos hodie versari constat, vi illa potius, quasi *Senatus consulto*, optimi cuiusque suffragio adprobetur. 3) Sed iam quæstio exsurgit, an regula nostra hoc exemplo vere vitietur. Atque est, quod negem, rem ita se habere. Ferae enim bestiae, in his, quas diximus, ciuitatibus, non amplius ita nullius videntur esse habendae, vt damna ab iis data, vi quasi maiori, cui resisti non potuerit, facta videantur. Stat igitur prior regula. Sequatur altera. Si bestia ab homine sui commodi gratia alatur et detineatur, quoniam nemini debet per alterum iniqua adferri conditio, nihilque est tam naturale, quam extra causam contractuum leuisimam culpam praestari, 4) quidquid damni alteri illatum doceatur, a domino est

3) I. F. RVNDE in den Grundsätzen des gem. T. Privatrechts, ed. nov. §. 16. n. a.

4) L. 44. D. ad l. *Aquill.* l. 30. §. 3. eod.

praestandum, nisi culpa alii magis, quam domino bestiae, aut ipsi laeso magis, quam alii tribuenda videatur, puta, si quis petulantia sua aut incuria est laesus, aut si instigatu alterius damnum factum. Quod manifestae est aequitatis. Nam illa lex, quam non didicimus, legimus, accepimus, verum, vt ille ait, ex natura ipsa arripiimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, illa inquam, non scripta, sed nata lex, cum neminem laendum esse praecepit, quid aliud voluit, nisi, vt nullo discrimine habeamus, factane sit iniuria facto alicuius proprio, an eo, quod, cum deberet, non diligenter satis cavit. Haec igitur sunt rationis praecepta, non obscura illa et subtilia, sed clara et simplicia, quorum lucem, nescio an nemo non videre debeat. Iam delabimur ad civitatum iura *ἐπιτομῇ* adumbranda, vt, quam varium sit atque multiplex ius civile, et quam alienum a naturali praestantia, vno veluti intuitu lectores cognoscant. Quod meum iudicium, si fortean quibusdam magis a temeritate, quam a prudentia profectum videatur, respondebo, me non spectare, quid Romae sit factum, dictum, scriptum; sed potius, quid facto, dicto, scripto opus fuerit. 5) **LEGE DIVINA**, bouis, alienum seruum ferientis, dominus, pretium serui, vulnere confecti, praestare tenetur. 6) Imo bouis, liberum hominem occidentis dominus, qui testato, id est, denunciatione damni infecti interposita, admonitus fuit, vt animal custodiret, nisi vitam, lytro dato, redemerit, capitali suppicio plectendus. Vtramque vero legem ad canes aliasque bestias damniferas pertinuisse, credere par est. Ita certe sentit **IOH. DAV. MICHAELIS**, vir diuinus. 7) Eadem Moysis sanctione, quod **bos** damnum faciens ad lapidationis poenam trahi iubetur, vti multorum gentium exemplo comprobatur, ita subtilissimam habet rationem, ne sanctio priori libro (IX. 6.) expressa,

5) **L. 12. π. de offic. Praes.** l. 13. in fin. **C. de sent. et interl.**

6) **Exod. II. 28. 29.**

7) In *Iure Mosait.* T. VI. p. m. 60. Nec abhorret ab eadem thesi, Vir **Cl. E. F. C. ROSENmüller** in *Scholia* ad h. l. T. I. p. 503. Add. *Critici sacros* T. I. ed. sec. Frfr. ad M. 1696. p. 582 sq. Ceterum de bestiarum suppliciis, fateor, multo mihi rectius iudicasse videri Romanos, quam Iudeos. Quod, vt de *Ciceronis Off.* I. 16, loco non dicam, vbi *in equis*, inquit, et *leonibus iustitiam non dicimus*, sunt enim *rationis et orationis expertes*, perspicue patet ex *Vlpiano*, qui l. 1. § 3. π. si quadr. negat posse animal iniuria fecisse, quod sensu creat, a qua recta sentiendi ratione vti auctores juris canonici. C. 15. qu. 1. c. 4. ita multi

de homicidio supplicii similirudine luendo, frustranea esset. Deinde nec hoc est praetermittendum, exemplum de bobus committentibus apud Moysen et similiter apud Vlpianum legi. 8) Bobus duorum committentibus, cum alter alterum occidit, damnum ad vtrumque dominum pertinere dicitur, nisi iam antea bos petulcus fuerit; nam huius dominus occisum bouem viuo oblato praestare iubetur. Quam definitionem ab aequitate et simplicitate magis dixerim commendari, quam iuris civilis sanctionem, licet summo iuri conuenientiorem, qua bouis occisi damnum ab aggressoris domino praestari iubetur. Multo enim facilius est, uter boum petulcus fuerit, demonstrare, quam uter alterum prouocauerit. Qua de re mox plenius. IURE CIVILI de damnis a bestia datis, duplex actio est prodita, altera *de pauperie*, altera *de pastu*, vtraque ex XII., neutra ad damna a feris data extensa. Quarum haec, quod nemo ignorat, competit, vbi animal alieuius, nullo immittente, secundum naturam sui generis in alieno depascit: illa vero, quando animal contra naturam generis sui, proprio motu nocuerit, neque ex culpa custodientis, nullo instigante, aduersus eum, qui possidet, quem tamen, nisi, suum esse animal, inficiatus fuerit, animal noxae dedendo, liberari volunt iuris auctores. Atque ista, si animal quadrupes pauperiem fecerit; non, si bipes, vbi utilis actio datur. L. 4. π. h. t. Iure vero honorario, ut iam de lege Pesulania, tertio capite commemoranda, non dicam, ab Aedilibus Curilibus, peculiari edicto, quoniam lege XII. tabb. nihil fuerat speciatim cautum de cane feroce et feris bestiis, necessitate id exigente, ob ludorum, ad quos sere alebantur, frequentiam, haec sancita leguntur, quae adscribere non piget. 9) Ait Aedilis: ne quis canem — — aliud, quod noceret animal, siue soluta sint, siue alligata, ut contineri vinculis, quominus damnum inferant, non possint, quo vulgo iter fit, ita habuisse

maiorum aetate descierunt. Vid THOMAE l. I. cap. 17. §. 40. s. STRYK in Vf. D. Mod. T. I. p. 145. ANT. MATHAEI ad lib. terr. Proleg. p. m. 71. HOMMEL epit iur. sac. p. 205. Add. M. AVREL. GALVAN. de vsuf. cap. 7. p. m. 35. — 77. Ceterum, quae vetus est lis atque alteratio inter ICtos, minime necessaria illa et frustra multis excitata, pomum praebente Iustiniano in definitione iuris naturalis, in brutorum genus, an cadat iniuria, hanc meam non facio. Qui volet, audeat AL. GENTILEM Lect. et Epist. lib. III. c. 1. Louv. 1583. 8. p. m. 146. GOVEAN. lib. I. lect. iur. civ. c. 19. G. BVDAEVVM ad π. p. m. 49. LAVR. VALLAM lib. IV. Elegantiarum, cap. 43. 10. CORAS. de iure ciu. in art. red. lib. II. p. m. 103 et miscell. iur. ciu. lib. VI. c. 25. p. m. 414. Reliquos, sunt enim sexenti, illis praetermissis, excitauit GOTTL. KORTE in diss. vindiciae l. I. §. 4. de iure, quod natura omnia animalia docuit. Lips. 1727.

8) Exod. 21.35. VLP, in l. I. §. 11. D. si quadr.

9) VLPIANVS ET PAVLVS in l. 40. et l. 41. D. de Ed. Aedilit.

velit, ut cuiquam nocere damnum dare possit. Si aduersus ea factum erit et homo liber ex ea re perierit, solidi ducenti, si nocitum homini libero esse dicerur, quanti bonum aequum iudici videbitur, condemnetur: ceterarum rerum, quanti damnum datum factumue sit, dupli. Illustravit hoc edictum post Ioh. THOMAE et Ioh. STRAVCHIVM, omnium optime ev. OTTO, cuius ego obseruationibus grammaticis, criticis, historicis, si quid addere conarer, verendum esset, ne soli lumen inferre viderer, aut illico me nescio quis rei dudum iudicatae exceptione fugaret. Plenissime enim ibi occasionem et necessitatem, sententiam item et sanctionem, et denique aequitatem edicti persecutus est. Iuuat potius, quasdam ex hoc genere quaestiones, aliorum studiis nondum satis tractatas excutere. Ob damnum a fera factum, cuius naturalis est feritas, alii negant vtilem dari actionem de pauperie, alii adfirmant, inter quos sunt SCHVLTINGIUS, VINNIUS, OTTO, HOFMANNVS et BYNCKERSHOECKIUS<sup>10)</sup> cuius tamen doctrinam in eo non amplector, quod in dodecadelto, vbi actio data, si quadrupes pauperiem fecisse dicereatur, feras etiam, modo domitiae essent in alicuius dominio, contineri putat, aduersus manifestam plurimorum auctorum sententiam.<sup>11)</sup> Pauperies enim est damnum contra naturam sui generis ab animali datum, et causa, cur leges XII. damni a fera illati non meminerint, non adeo est obscura, ut reddi nequeat. Sed, vtiliter ob noxam a fera factam, de pauperie experiri licuisse, quemadmodum ex Paulli verbis in I. 4. D. h. t. colligitur, ita non difficile est videre ex §. I. I. si quadr. in qua vtilis de pauperie actio cum aedilitia concurrere dicitur, non directa, ad quam non pertinet noxa a fera facta. Qui concursus, quo facio locum esset habiturus, aedilitio edicto de feris proposito, non de quadrupedibus, nisi vtiliter de pauperie agere licuisset ob vim a ferocibus animalibus factam? — Porro ait VLEPIANVS I. I. §. 10. D. h. t. in bestiis autem, propter naturalem feritatem, haec actio locum non habet. Cur ita? si rationem solam sequamur magistrum, id definire non est in facili. Nam damnum illa indiscriminatim resarciri iubet, idque a domino. Neque audiendus videtur C. F. HOMMELIUS,<sup>12)</sup> qui eius rei subtilissiman esse rationem indicat, scilicet hanc, quod ferae, quando noceant, id magis secundum, quam contra naturam faciant. Feras enim, cum hominem laedant, non quasi peccare id est

<sup>10)</sup> SCHVLT. I, A. p. m. 252. VINN. et OTTO ad I. h. t. HOFM. ad XII. in hist. iur. T. II. p. 222 BYNCKERSH. cap. 6. de reb. manu.

<sup>11)</sup> v. I. I. d. 15. in bestiis D. h. t. pr. I. h. t.

<sup>12)</sup> In opuse. T. I. p. 95. Ad. h. GROTIUS in Iur. B. et Pac. lib. I. c. 2. §. 3. n. 2.

aduersus naturam facere, sed recte agere seu naturae conuenienter. Quam philosophiae subtilitatem, in urbem serius inuestigam et a prudentibus post in respondeudo usurpatam, caue simplicitati illius temporis conuenire existimes. Lex XII. ferarum non meminit. Ecce? Sententiam pro me dicat a COSTA ad I. h. t. illorum temporum frugalitatem nondum feras ludorum causa Romam ad-duxisse. Quod, cum verum sit, non possum, quin probem.

Tum, non est expeditum definire, causa et indeoles obligationis domini possessoris ad praestandum pauperiem, quanam fuerit. Cuius quaestio[n]is non ea est vis, vt quaeratur, ad quod genus illa obligatio referatur. Quippe quam non male docere videntur, qui immediatan vocant, ex nullo facto domini profectam. Quorum sententiam, reiectis aliorum auctoritatibus, adoptauit nuper A. D. WEBER, Vir. Ill. in libro, quem praestantissimum scripsit de causis naturalis obligationis. <sup>13)</sup> Quaero, quanam de caussa iuris ciuilis conditores dominum quadrupedis 1) illa actione teneri, 2) animalis deditio[n]e liberari, 3) congressis inter se duorum animalibus, si periusset id, quod adg[ressu]m esset, cessare actionem debere, statuerint. Miror sane, c. F. HOMMELIVM, ex quorundam, qui ipsum praecesserant, sententia, prioris decreti rationem ex praeceptis philosophiae Stoicae repete[n]t, quae huius iuris auctores omnino latuit. Quadrupedem, putat, cum pauperiem facit, peccare, quod contra naturam faciat. Teneri igitur dominum, ex quorum corporibus adquirat, eorum factis. Quo peccati colore, nescio, an non opus sit. Nec ad Stoam confugiendum puto, a qua, qui ex ICtis Romanis abhoruerunt, non minus sapere potuerunt, quam qui casta summi huius aetatis philosophi sequi recusant. Auctores quadrupedariae sua sponte viderunt, vt, qui habeat commoda, eum sequantur incommoda, id esse manifestae aequitatis. Neque, illa subtilitate posita, liquidum est et clarum, cur de pauperie conueniat, non qui tempore damni dati, sed qui tempore litis contestatae, dominus animalis est? Deinde, quod dominus noxae datione liberatur, ideo placuisse videtur, quod iniquum putaretur, rei dereliquen-dae facultatem domino negari, et aliquem in maius, quam in pretium corporis nocui teneri. <sup>14)</sup> Noxae vero oblationem a Romanis pro derelictione fuisse habitam,

13) T. I. §. 34. c. F. GLVECK ad Dig. T. IV. p. 391. Add. g. A. STRVY. in synt. iur. civ. h.t. c. THOMAS. ad STRAVCH. p. 530, idem in not. ad v. HYBERI Praesl. h.t. s. PPFENDORF in iure nat. et gent. l. 3. c. 1. §. 6. I. SCHILTER in Prax. Ex. 19. c. 1. 2.

14) L. 2. pr. D. de nox. act.

vti Julianus ab Vlpiano in l. 38. §. 1. D. de nox. act. citatus, non obscure significat, ita magis claret ex loco illo singulari Inst. §. 3. de nox. act. vbi seruus noxae datus, sua se pecunia, ex diario forte comparsa, liberare et redimere posse dicitur, quia a domino priori abiectus, actori, iudicato praestito, satisfecisset.

Denique **VLPIANI** efflat in l. 1. §. II. tit. laud. placet notulam addere. *Cum arietes vel boves commisissent, inquit I<sup>CTUS</sup>, et alter alterum occidit: Quintus Mucius distinxit, vt, si quidem is periisser, qui adgressus erat, cessaret acrio; si is, qui non prouocauerat, competeret actio: quomobrem eum sibi aut noxam sarcire, aut in noxam dedere oportere.* Cuius responsi, quaenam sit ratio, a multis quaesitum sed varie responsum esse scio. **HVGRO GROTIUS**, quem cum aliis sequitur v. **HYBERVS**, <sup>15)</sup> bene distingui opinatur inter eam bestiam, quae iniuriam inferat, eamque, quae propulset, quod in bestiis sit umbra quaedam iuris. **FR. BALDVINVS**, in *Iurisprudentia Muciana* ad hoc fragmentum delatus, nihil fere, quod placere possit, adscribit. **C. THOMASIUS**, **C. F. HOMMEL** et **I. L. E. PVITTMANNVS** <sup>16)</sup> hoc in loco, tutelae sui ipsius aduersus vim iniustam irreprehensae, luculentissimum exemplum dari existimant. Nam bouem adgressorē contra naturam facere, alterum, qui se defendat, secundum naturam. Ego vero, tantum abest, vt iis adsentiar, vt mihi potius alia omnia persuadeam. Nam nec iuris, hominum proprii, ratio in bestiis haberi debet, nec r<sup>a</sup> fieri secundum et contra naturam iusto latius accipi debent. Bestia enim quadrupes, quo iure, cum se aduersus violentiam aggressoris defendit, secundum naturam facere dicitur, eodem ego quadrupedem aggressorem non contra naturam facere dixerim, cum, coeco amore iubente, signa mouet et praeceps ruit in hostem. Nam, vti **VIRGILIVS**,

*Pascitur in magna silua formosa iuuuenia,  
Illi (tauri) alternantes magna vi praelia miscent  
Vulneribus crebris — —  
Dulcibus illa quidem illecebris et saepe superbos  
Cornibus inter se subigit decernere amantes.*

Neque minus canis, carni alienae liuentis auditas, dum alii suum eripere cupit, tam secundum naturam est, quam aduersarii morositas. Nam, quodcumque vi fit,

<sup>15)</sup> GROT. d. I. B. et P. lib. 1. c. 4. §. 1. n. 2. HYB. *Praef. ad I. h. t.*

<sup>16)</sup> *Illi locis excit. hic in diss. de mod. inculp. tut.*

et quasi iniuria, ab animali, ira aut alia perturbatione concitato, magis secundum, quam contra naturam fieri videtur. Ex quibus prono, ni fallo, alueo fluit, ita Muciano responso rationem non constare. Quid igitur mihi? hoc scilicet sedet: naturam hoc loco ad suum cuiusque animalis genus esse reuocandam, qua in mansuetis vel mansuefactis bestiis, naturalis earum vel adscititia mansuetudo significetur, in feris, feritas genitalis seu nativa. Quibus definitionibus, cum exempla legibus proposita, quam maxime conueniunt, tum Scaevolae nostri sententia egregie illustratur. Nam arietis bousue procacis dominus, tenetur, quoniam culpa vix vacat. Neque enim eius, qui bestias ad nocendum et prouocandum proclives non custodiret, nulla est culpa. Noxam igitur, aequum est et naturale, ab eo sarciri. Sed his verbum non addo.

Sequuntur reliqua. Indicem enim vel potius summan legum ex hoc genere dare decreuimus. Leges cascas illas, Salicam, Ripuariorum, Baiuvariorum, Wisigothorum, Burgundionum non commemoro, ab aliis, veluti a SCHILTERO ad Dig. dudum expositis: quas intuenti, facile intelligitur, modo iuris Romani placita repete, modo werigeldi praestationem iubere, modo dominum liberare ab aestimatione litis praestanda, si caput, quod nocuit, confestim expulerit, Verbo, nulla ex his legibus ad simplicitatem naturalis rationis est composita.

Neque quid singulare obseruauit in iure pontificio. Nam, quae in capp. 13, et 16. X. de homicid. leguntur de equis, feritate sua nocentibus, digna non sunt, quae repetantur.

Ius nostrum prouinciale, quocum fere consentit Ius Alemannicum, <sup>17)</sup> damnum ab animali ferociori et ad nocendum procliui, cane, vrso et similibus datum, a possessore omnino praestari iubet: sin nocuerit mansueta bestia vel mansuefacta, non pignorandi solum ius, ei, cui nocitum, datur, sed etiam, pignoratione cessante, damni resarcitio, nisi caput nocuum illico expulsum fuerit. <sup>18)</sup> De cuius iuris, quod hoc ipso aeuo vsu obtinere dicitur, inde et pretio, parum disputo. Quod omnes intelligent necesse est, huic aetati vix conuenire et vt illa iurisprudentia infans, tandem aliquando exolescat, illud magnopere esse optandum. Huic enim aetati toga, conuenientior est, quam praetexta. Atque vtinam esset in

<sup>17)</sup> Lib. II. art. 40. art. 62.

<sup>18)</sup> V. SCHOTT in *Inst. iur. Sax.* ex edit. HAVBOLDI, Viri Illustr. CARPOV. *Prax. rer. crimi*, quu. 131, n. 17—26. c. F. HOMMEL rh. obs. 584.

nostra civitate aliquis magistratus summus iuri dicundo, Praetori Romano non absimilis, cuius munus, adiuando, supplendo, corrigendo iure ciuili absoluatur, aequi bonique et iuris moribus et temporibus attemperati custos et seruator, omnis iniuria, antiquitatis religione consecratae, eliminator, et qui legum, ne videantur

*non bene iunctarum discordia semina rerum*

induceret aequabilitatem, concentum et harmoniam, geradae, heergewettae, pignorationis, quiritium iuri aduersae,<sup>18)</sup> pascuorum et compascuorum, quae sunt molestiarum, perturbationum et innumerarum litium foecundissimae matres, propter quae

— — it tristis arator  
arque opere in medio defixa relinquit aratra,  
exturbator.

Superest Caroli V. sanctio de bestiarum damnis,<sup>20)</sup> cuius verba ita iacent latine: qui feram bestiam, genitali feritate praeditam, habet patiturue, vnde vitae corporis periculum aliis sit metuendum, eam dominus remouere tenetur; quod si enim illa damnum dederit, aut hominem occiderit, dominus ferae, pro conditione causae, arbitrio iudicantium poenae subiicietur, et quidem grauior, si admonitio magistratus praecesserit. — Haec est summa iuris de damno a bestiis metuendo constituti. Cuius, facile quis videt, hanc esse indolem, vt parum naturalibus praeceptis respondeat. Magis enim, ad damnum, ubi est factum, reparandum, quam, quod caput rei est, ne fiat, cauendum, est compositum. Sed ab hoc argumento, ad illud, quod nobis est princeps, quodque p[ro]ae ceteris tractandum nobis sumsimus, progrediamur.

### C A P. I I I.

*De vi canum noxia propulsanda, quid legibus diuinis, romanis, patriis sancitum legatur, exponitur. Pretium canis. Canes e templis expulsi. Astynomia. An canis adpellatione quadrupedum contineatur, et quid sint quadrupedes, disquiritur. Verbum de lege Pesulania. Ad leg. 2. D[icitur]. de diuers. temp. praesc. breuis adnotatio.*

In disputatione de iniuriis canum, quoniam duo spectanda sunt, vnum, quanam ratione istiusmodi damna caueantur, alterum, quomodo, si sint facta,

19) L. 39. §. 1. D. ad leg. Ag.

20) Nemes. Carol. art: 136.

praestentur, idque dupli ratione, et ex sententia legum constitutarum, et ex praecipsis prudentiae et rectae rationis probabilibus, nos singula singulis capitibus exposituri, hunc ordinem seruare decreuimus, ut primum de iniuria canum auerruncanda disseramus idque *Seruāt.* Reliqua deinceps. Quod opus adgredsurum, quamquam non praetereat, multis perplacuisse eam sententiam, leges de bestiis damniferis Romanas, et maxime sanctiones de canibus, e lege diuina, in Graeciam translata, esse depromtas, ea tamen opinio, haud dixerim, an magis quorundam auctoritate, quam argumentorum vi et pondere defendatur. Nam in legibus diuinis, praeter illud caput, quod de damno a boue petulco dato superius adposui, neque de pauperie generatim; neque de canis asperitate, praecipi quidquam memini. Neque enim fieri potest, ut locus *Deuteron.* XXIII. v. 18., in quo *pretium canis*, quod *LVTHERVS* vertit *Hundegeld*, in templum inferri prohibetur, de cane et pretio ex cane vendito redacto Deo non consecrando, intelligatur: ut *vifum est ILKENIO.* 21) Quod interpretationis genus, cum nullo idoneo arguento firmatur, tum contextui quammaxime repugnat. 22) Nec magis probo, quod coniicit cum aliis ROSENmüLLERVS, *Vir Excell.* cum pretium canis, de pretio a cynaedo soluto accipit. Evidem facere vix possum, quin pedibus ad eorum sententiam transeam, qui, versus 17. auctoritate confisi, in quo scorta vtriusque sexus commemorantur, *Hurer und Huren*, pretium canis, cuius in v. 18. fit mentio, pecuniam a muliere libidinis causa masculo turpiter oblatam significare existimant: ut sit sententia: in hac gente, nulla sit, quae quaestum corpore faciat, nullus, qui corpus venale offerat: ne tu inferas in sanctuarium, quod scortum, nullo discrimine habitu, mas sit, an femina, acceperit. Non valde vereor, ut recte canis pretium de pecunia cynaedo, corporis copiam libidinosae mulieri facienti, soluta intelligatur. Cuius turpitudinis, in hominibus virilis sexus exempla, si vel nulla hodie extarent, id, quod in medio relinquo, plurima illis temporibus exsistisse, rerum antiquarum scriptores testatum faciunt. Neque frustra factum et temere, quod quidam in leg. fin. §. 1. D. de Obl. et Act. eiusmodi quid odorati sibi viderentur. 23)

21) In diss. de pretio canis, quae in eius diss. Philol. theol. sextum occupat locum.

22) v. Exc. ROSENmüLLERI schol. ad h. l. T. II. p. 112.

23) A. FL. RIVINVS diss. de muliere quaestuaria. Lips. 1730. p. 54. A. PAGENSTECHER iurispr. polen. qu. 3. Ceterum de oratione, qua literae amatoriae in l. co.D. propositae, sunt scriptae, parum casta et latina, v. G. C. KIRCHMAIER in amoena. lat. ICt. p. 30. C. A. DVCKER

Iam Graeciam visum venio. Graecos enim canum acrimum amantissimos fuisse, ab aliis obseruatum scio. Satis constat, apud hanc gentem, canes feroce adligari consueisse ad limina aedium, vinctos catena, ianuarum custodes, πυλαρχούς εν περιθύροισι καιμένους Homerus vocat, qui sures et directarios ab aedibus arcerent. Neque res est obscura, de ostiariis ad limina excubantibus, qui canes abducerent, uti docuerunt in *Misc.* lib. III. cap. 3. BRODAEVS et in *Semestr. PET. FABER* lib. II. cap. 12. Porro, non est nouum, qua cura veteres, cum Graeci, tum Romani, ne, qui aedes ingressuri erant, ab illis nocturnis custodibus ptererentur, prospexit vulgatissima inscriptione; CAVE CAVE CANEM, ad quam et illud Paulli, diuini interpretis, *Philipp.* III. v. 2. βλέπετε τὰς κυνάς, βλέπετε τοὺς κακούς, esse referendum, vidit ICtus, paucis inferior, PET. FABER, loco, quem significauit.<sup>24)</sup>

Graeci vero, cum non ignorarent, quo facilior laedendi sit ratio, et frequenter, eo quoque diligentius praecaui debere, leges tulerunt ad id genus periculorum arcendum. Primum enim canem ad sacra Deorum non admissum scimus, sed e templis exterminatum, monentibus PLVTARCHO in Qu. Rom. et PLINIO<sup>25)</sup> Cuius rei, cum multae sint causae, tum maxime haec, quod canis sit animal acre et vigil, ab asylis arcendum et sanctis aedificiis, in quibus omnis periculi exsors perfugium supplicibus concedatur. Quae res, quo prudentius fuit instituta, eo mirandum est minus, idem placuisse multo tempore post Christianis hominibus, sacra celebrantibus, in quorum libris multi reperiuntur canones, item leges diligenter ab U. G. SIEBERO in diss. *de cane e templis exterminando*, adlatae varique generis observationibus illustratae, quibus canes, ne infestent sacra, fustibus admoneri et ab aedibus religiosis abigi iubentur.<sup>26)</sup>

Porro non est vero absimile, Astynomos, quorum cura in eo occupata erat, ut vrbs munda esset, canes feroce ac belluas, humanum sidentes sanguinem procul a viis relegasse, quo iter facientes sine periculo commere possent. Plato certe, quas in sua republica partes astynomis mandauerit, ex eo ipso scimus. Ad viarum, ait, struciram earumque exornandarum curam, ne aut homines iniuria adficiantur, aut ipsae ferae noceant, sed ut tam in ipso urbis ambitu, quam in suburbii

*de lat. vet. ICt. — et de toto hoc argumento auctores der biblioth. Encyklopädie T. II. s. v. Hundelohn p. 267.*

24) *Adde TURNEB.* lib. 15. *aduers.* cap. 4. EV. OTTO *de tut. viar. publ.* p. 448.

25) PLIN. H. N. lib. 10. cap. 29. ALEX. ab ALEX. *Gen. Dier.* lib. II. cap. 24.

26) V. C. F. HOMMEL *ep. sac. iur.* p. 42.

consentanea quaeque gerantur, magistratus sunt eligendi, qui appellentur *στρατοφύλακες*, id est, aediles. 27) Quae diuini viri decreta non possunt non probari ei, qui Vlpiani sententiam in l. 1. §. 1. D. de his, qui effud. vel deiec. cognouerit, cum, publice, ait, esse vtile, sine meru et periculo, per itinera commeari. — Sed de Graecis quoque satis, vel nimium etiam. Explorandae sunt iuris romani de canum vi auertenda sanctiones. De canibus, in legibus priscis, quas XII. vocant, caueri, non facile dixerim. Certo, quae ex illis aetatem tulerunt fractae ex naufragio tabulae, nullam eorum iniiciunt mentionem. Ni canes sub quadrupedibus contineri dixeris, de quibus illae, vti constat. Verum haec, dubito, an villam habeant vim, cum ICtorum vna et concors sententia non sit, canes in quadrupedibus esse. Quae-stio, meo quidem iudicio, minime obscura, minime impedita. Sed, qui est ICtorum mos, alia ex alia lis, aliud ex alio malum. Res salua est. Leges decemvirorum, eo loci, qui incipit, si quadrupes, vereor, vt intellexerint, quae collo et dorso domantur, animalia, ex definitione Vlpiani, proprie et ex arte iuris loquentis, quae in Decemuiris nulla, aut exigua sat erat. Mibi quidem, si fas est, quod sentiam, libere exponere, omnis illa distinctio, in quadrupedes, pecudes et feras, legi Aquilliae propria, neque ex XII. vti non pauci opinantur, deriuanda videtur. Nam in XII. nihil de feris, nihil de pecudibus. Quadrupedis vero in hoc iuris Romani corpore significatio adeo patuit late, vt omne animal complectetur, quod quatuor pedibus incedit, exceptis feris, quas vix est credibile, illorum temporum simplicitatem in urbem misse. Quocirca, nil prohibet, quo minus pecudes ad quadrupedes fuisse relatas credamus, de quibus actio de pauperie, non item bipes, quae ad nocendum vel nunquam, vel rarius concitantur. Quam doctrinam, ab Vlpiano l. 1. §. 2. et l. 2. §. 1. D. si quadr. mirum in modum confirmatam, cum actionem de pauperie noxalem ad omnes quadrupedes pertinere monet, SCHVLTINGIVS ad Paulum et BYNKERSHOECKIVS probauerunt. 28) Quae si vera sunt, canem sub quadrupedibus contineri, sequitur, ob damnum a cane datum, nemine instigante vel causam noxae dante, directam nec solum vtilem, interpre-tatione Prudentum propositam, actionem competuisse. Quod non minus de aliis quadrupedibus verum est. Sed propriam illam quadrupedis significationem, qua

27) PLATO *de republ.* lib. VI. CVIAC. Obs. lib. 22. cap. 31. E. OTTO *de tut. viar.* p. II. c. 3. p. 345 et in Popiniano cap. 4. §. 3. vbi etiam de Popiniani libro astynomico, de quo, quinam sit, inter principes ciuilis artis non convenit. Cf. BACH in *hist. iur.* ex ed. Viri III. STOCKMANNI ibiq. II. auct. SAMMET *opusc.* p. 240.

28) BYNKERSH. *opusc.* T. II. diss. de reb. manc.

hoc nomine, quae collo et dorso domantur, boues, muli, equi, asini comprehenduntur, constituit auctor legis Aquilliae, nescio quibus rationibus adductus. Aut fallor igitur, aut nihil est, quod c. f. HOMMELIVS 29) existimat, legem decemuirorum, exclusis pecudibus, ad solas quadrupedes, vti ab Vlpiano tit. XIX. fr. in pr. definitur, pertinuisse, quod viri ingeniosissimi et vere docti sphalma, non placet verbosius refellere. Haec de quaestione, an canes sint inter quadrupedes, quorum summa haec est. De pauperie, si agitur, sunt, non aequa in lege Aquilia. 30)

Sequitur, vt de lege Pesulania, quid sentiam, significem. Quam cum solus Paulus commemoret, ex ἀταξ ἐιρήνεοις esse constat. ICti verba haec sunt: 31) *si quadrupes pauperiem fecerit, damnumue dederit, quidue depasta sit, in dominum actin duratur, vt aut danni aestimationem subeat, aut quadrupede cedar, quod etiam lege Pesulania de cane cauetur.* De hac lege, quaenam sit, cuius auctoris, aetatis, inscriptionis, argumenti, multos curiosius quaerentes audio, neminem respondentem. Nolo, quae sunt commenti ad h. l. CVIACIVS REX, RITTERSHVSIVS, A. AVGVSTINVS, SCHVLTINGIVS, THOMAE, EV. OTTO, 32) aliquie, meo libello adscribere: quod vereor, ne sit nimis longum. Exproximam solum, quid mihi videatur. A multis laudari video hanc legem de cane, quasi de solo cane et damno ab eo dato vindicando praecipientem. Quod quam frustra doceatur, Paulinus verbis attentius inspectis, illico liquet. Ait Paulus: *quod lege Pesulania de cane cauetur:* non, significaturus, adesse legem de canibus solis propositam, sed, in lege Pesulania, de damnis bestiarum forte generatim praeciente, simul de cane nocente, noxae dando, cautum fuisse. Lex igitur peculiaris de cane non fuisse videtur. Sed quidquid huius rei sit, pergo querere. Estne lex Pesulania, Solonis illa, quam Plutarchus et Plaro, locis quarto capite proferendis meminerunt? Quod vult Cuiacius et multi alii, non ex gregariis. Magis mihi videtur, vt contra statuam. Quod multis iri probatum credo, modo Pauli consilium et orationis seriem perspexerint. Ad quem modum rationes etiam subduxit SCHVLTINGIVS. Quid enim opus, legem Graecam adduxisse in libello, iuris Romani elementa, in usum praesentis temporis, scripta complectente? Neque veri videtur simile, de canum noxa praestanda, lege singulari tributa vel centuriata fuisse cautum, partim quod lex XII, pauperiem vindicans, omnem intellexit quadrupedem, cane non excluso,

29) Opusc. T. I. p. 97.

30) Adde l. 2. §. 2. D. ad leg. Aquil. §. 1. et 13. I. eod.

31) Lib. L sentent. tit. 15. §. 1.

32) Ad. NOVCHAVD ad XII. p. 178. cui emendatio multorum, pro Pesulania, Soloniam legentium, displicet.

partim, quod, si XII. sanctio, temporis iniuria oblitterata, lege noua restituta foret, eius rei Vlpianus et Caius, in libris ad edictum, non potuissent dememinisse. Simpliciter vero Vlpianus: *haec actio, ait, ad omnes quadrupedes pertinet.* Ex quo loco non minus, quam ex §. 5. l. 1. si quad. in quo canis mentio fit, intelligitur, actionem de canis damno resarciendo, lege Pesulania, qua non opus, non fuisse inuestam. 33) Ceterum de lege Pesulania, qualis fuerit, ne coniecturas quidem, quas adseram, habeo. Nam, etsi quondam in hoc loco vel librarii, vel alius nescio cuius manum agnoscere et receptam lectionem turbare placuit, venit enim in mentem pro *Pesulania, perulanti,* legere, vt esset sensus, quod etiam lege (sc. XII. tabb.) *perulanti de cane cauetur*, quod non absurdum puto, nunc tamen, nihil cum adsit, quo muniam hanc ιποθεσιν, praesidii, rem in medio relinquo. Legem vero Pesulaniam, si qua fuit, qui nec tributam, nec centuriatam, sed municipalem forsitan existimat, in quam coniecturam nescio an quisquam inciderit, non multum repugnem. De lege hac satis, licet parum, immo nihil. Nam, de nihilo, vt est in proverbio, nihil.

Superest, vt verbum adnotem editio viario Aedilis, antea, non illustrato, sed recitato. Duo sunt, quae cum lectore communicata volo, vnum, vt meum de Aedilis prudentia et arte, iudicium interponam, alterum, in quo forsitan quibusdam de curru delapsus videbor, vt de lege 2. D. de div. temp. praesc. quid sentiam, significem. De quo posteriori, licet vix suo loco posito, primum. Ait MARCELLVS lib. 6. Dig. — „aut de actionibus, quae certo tempore finiuntur, ut aedilitiae pleraque actiones.“ Ait pleraque, quae vocula fluctus excitauit inter nostros. Adest BYNKERSHOECKIVS, quem Hectorem soleo adpellare, nam Cuiacium,

Παρθείνεται ὁστείς ἀστερίς — —  
Ος ἡάτ' οπώρης είσιν ἀρχήγοι δε οἱ αὐγαλ  
Φανούσται πολλοῖσι μετ' ἀστραστοῖς νυκτὸς ἀμολγῶ

Achillem dico, adest, inquam, BYNKERSHOECKIVS, 34) pro pleraque legens peraque, id, quod nec rationi loquendi, neque iuris aedilii ingenio conueniens videtur, vt recte iudicauit I. L. E. FVITTMANNVS; 35) quem tamen, dum legi suadet, ut aediliiae, pleraque actiones, ita, vt, τὸ et per ἀσύνδετον omissum videatur, in hoc loco inter-

33) Adpono verba ICti: „*Sed et si canis, cum duceretur ab aliquo, asperitate sua evaserit et aliqui damnum dederit, si contineri firmius ab alio poterit, vel si per eum locum induci non debuit, haec actio cessabit.*“ Tunc igitur non cessabit, si firmius contineri non potuit et in reliquis casibus. Dum enim ICtus ex duabus propositis vnum negat, alterum tacendo concessit. quod argumentum in legibus Dig. desumtur a contrario, est fortissimum. V. L. A. HAMBERGERI opus. p. 211.

34) Obs. lib. II. obs. 8.

35) Melet. iur. ciu. L. 1770. spec. I. pag. 10.

pretando, illo feliciorem fuisse negem. Duriuscula est, ni meus me sensus fallit, haec interpretatio. Duplex in promtu mihi est, explicatio, utraque, si quid iudico, facillima, atque ab omni mutatione aliena. Quibus enim omnes aedilitiae actiones temporariae, nullae perpetuae videntur, hos iubeo τὸ que in vocula *pleraque*, bis legere: quo facto omnis scrupulus sublatus erit. Nam id vix necesse duco monere, Marcelli aetate, plerasque actiones potuisse dici temporarias. Quod si cui parum probabile videatur, ob Theodosii constitutionem, est, quod emblema statuas. Nam Tribonianus aeuo, non dubitatur, plerasque actiones tempore fuisse finitas. — Sed vix fieri potest, quin iis accedam, qui, quamquam nullius actionis aedilitiae perpetuae memoria ad nos peruenierit, tales tamen exstisset non omnino negent. Praetores enim, quin etiam Aediles, duplex in edictis actionum genus proposuerunt, alterum, quod sequeretur et seruaret ius ciuile, alterum, quod ab eo recederet, et, quae iure ciuili rata essent et firma, aequitatis colore rescinderet. Actiones vero honorarias, iuri ciuili consenteas, quis nescit, perpetuas fuisse, quae rescinderent, temporarias? Verum est, fateor, duas tantum aedilitias actiones nominatas ad nostram memoriam esse perlata, utramque temporariam. Sed respondeo primum, actionem ex edicto, de bestia noxia, iuxta viam habita, ad exemplum quadrupedatariae propositam, non absurde dici posse perpetuam. Nec opus est expressa auctoritate, ob cuius inopiam contra sit statuendum. Quorum argumentorum vim, si quis penetrare nolit, addo, Aediles, quum de variis causis, ad iurisdictionem suam pertinentibus, exemplo Praetorum, diuersa proposuerint edicta, quae praeter illa fragmenta, quae in Dig. illata, multa continerent, quorum scientia caremus, atque in iis quaedam, quae leges civiles sequentur, nihil esse causae, cur Marcellum negemus, plerasque actiones aedilitias temporarias, quasdam perpetuas iudicasse. A qua sententia, qui diuortium faciunt, nullas praebeo aures, nisi omnes aedilitias rescissorias et ob eam causam temporarias, nullas perpetuas fuisse, perspicue et accurate ostenderint. Quod, certus sum, non futurum. Nam frustra est, quod quis dicat, nullae actiones Aedilitiae sunt perpetuae. Evidem aut non adsequor vim huius argumenti, aut nihil, nisi illud, inde sequitur, Tribonianum et socios nullarum memoriam seruasse, vel nos, quaenam fuerint, ignorare. Scilicet, quod vno tantum loco, praeterea nusquam occurrit, confessim tanquam falsum rejiciendum est. Dadum hoc argumentum nullius esse momenti, monstrarunt viri doctissimi L. A. HAMBERGERVS et I. L. E. PVITTMANNVS. 36)

36) Ille in opuse. p. 29. et 103. hic in lib. sing. I. et Observ. p. 23. 24. 37. et 103. Add. KLOTZ acta litt. T. I. p. 94.

Edictum Aedilis Curulis, ad noxas ferarum bestiarum auertendas et sacerendas comparatum, recte quaeri potest, utrum prudenter et e republica fuerit compositum. Quam rem considerantem et omnia circumspicientem, offendit sanctio legis, noxias bestias iuxta viam haberi prohibentis, neminem, nisi, quando damnum datum, condemnantis. Quod non fero. Nam in ciuitatibus, qui legibus latet et institutis quibusdam eo comparatis, malefacta, antequam admittantur, prouida cura auertunt, et ne fiant, cauent, multo mili illis prudentiores videntur, qui delicta, cum sunt admissa, coercerent poenique vindicant. Plane Aediles, quorum fuit, saluti publicae augendae et omnibus periculis a ciuitate ciuibusque auertendis superesse, quid maiori cura debuissent prouidere, quam id, ut futura pericula, per cauendi diligentiam et προφυλαξίν auerterentur. Quae cum ita sint, mirari subit, cur illi, si quis bestiam, quae commota feritate, nocere posset, iuxta viam habuerit, nullam poenam sint minitati. Feras habere, impune erat. 37) Quas ego non crediderim, vinculis tam firmis contineri potuisse, quin aliquando erumperent et media in vrbe funestas strages ederent. Quod malum, etsi nullis scriptorum antiquorum auctoritatibus, nec vlorum exemplorum fide esset testatum, facile est intelligere, non potuisse non quam saepissime ciuitati accidere. Porro, poenam proposuerunt Romani, si nocisset bestia, aliam, si liber homo occisus, aliam, si vulneratus, aliam ceterarum rerum nomine. Cuius ego sanctionis aequitatem, ut intelligam, fieri plane nequit. Nam, ut mittam, inter liberos homines et seruos, vbi id minime opus, distingui, quantula est ista liberi hominis aestimatio, quam inconueniens iudicis arbitrium? Et quid, si non in aere haberet, cuius bestia nocuit! Nec denique video, quid sit, quod cuiilibet de populo agere licet ad poenam priuatam consequendam. 38) Praeter haec in edicto displicet, quod ad solos canes feroes solutos pertineat, non ad domesticos, eosque feroes, qui vincti ad limina aedium excubias agant. Nil denique in edicto de rabie canina, non ignota Romanis, quam pestem, Aediles debuissent cauere. 39) In summa, quo manifestior Praetoris est prudentia, in securitatem viarum publicarum, edicentis, ne

37) Neque in tanta ludorum frequentia, cum populus Romanus teste IVENALE Sat. X. v. 80.

— duas tantum res anxius optaret  
panem et Circenses.

Cadd. GVIL. FORNERIVS lib. I. Selection. c. 31. T. II. thes. jur. ciu. p. 31.) credibile est, exiguum fuisse ferarum numerum, quae ludorum causain caueis alerentur. EV. OTTO de tut. viar. publ. p. 346.

38) Arg. I. I. §. 5. I. 5. §. 5. D. de his, qui effud. OTTO de tut. p. 455.

39) PLIN. lib. 8. Vol. II. ed. Bip. p. m. 106. adiecit quadam de rabie canum. Nec nulla hominum canum morsibus absuitorum exempla in libris veterum leguntur. Quo fato Euripides perierit, narrat VAL. MAX. lib. IX, c. 12. ext. 1.

*quis in suggrunda protectae, supra eum locum, qua vulgo iter fit, id positum habeat, cuius catus nocere cui possit. Qui aduersus ea fecerit, in eum — iudicium dabo: eo clarus vel leuiter considerantibus liquet, Aediles multa cauendo nihil causse. A quo, qui dissentiat, neminem credo futurum esse. Atque haec de peregrinis institutis. Veniamus ad patria, ne nos communi obstringamus humani ingenii vicio, quod veteri fere omnia et obsoleta curiose conjectatur, praesentia autem seculi bona et domestica, non satis scire vel indagare videtur. In legibus Germanorum antiquis, a LINDEBROGIO ET GEORGISCHO editis, frequens fit canum mentio, quibus maiores nostri, maxime venationis causa, non parum delectabantur. Ea vero, qui cogitauerit, et plura esse, quam vt in pauca contraria queant, et, vt de obscuritatum involucris, quibus teguntur, nihil dicam, ita comparata, vt pauca de noxis resarcendi, sed de dannis id genus caudis nihil fere praecipiant, a me nemo profecto mirabitur, ea praeteriri, vela contrahere coacto, propter libellorum eiusmodi angustias. In farragine illa consuetudinum patriae uetustarum, quam apto nomine Speculum vocant, insunt quaedam de dannis, vti a reliquis bestiis, ita a canibus datis praestandis, de quibus deinceps: sed de illo argumento, in quo versor, frustra ibi quidquam quæsieris.*

Tum, de diuersarum prouinciarum, imo municipiorum, quae maximam partem politicis praeceptis continentur, statutis et legibus, non inficior, multa ibi, maxime hac, qua viuit, aetate, constituta legi, quae sunt huius generis. Sed ista omnia, quae infinita sunt, nec vnius pretii, hoc libello complecti, hominis esset, intemperanter abutentis otio. Quod a me ne fieri quidem potest, libris destituto, sine quibus in tanto pelago, negotium perdifficile est, navigare. Quod ego aperte confiteri, quam lectoribus verbi dare malui. Deinde, quod caput rei est, ex illis innumeris innumerarum ciuitatum decretis, vix est vnum aut alterum, quo, quod volumus, vere sit effectum, scilicet id, vta morsibus canum tuti, nec libidinis eorum foeditate offensi, per itinera compeare, et domi nostra, dum animis literarum studiis se dedit, nullis canum, velut ex indicto vndique concursantium clamoribus turbati, quiete viuere possumus. Ex multis pauca commemorasat, sat erit. Nolunt ciues vrbis Herrnburgensis, in Lusatia sitae, vt canes interdui intra vrbis moenia, iis in locis, vbi vulgo iter fit, conspiciantur.<sup>40)</sup> Neque est diu, cum lege ab Imperatore, in prouinciis, quas regio iure possidet, lata, omnes iuberentur, canes, si quos haberent, vincitos detinere, graui poena immotigeris statuta. Tum perplacuit, quod nuper vrbis Heilbronnensis Senatum, prudentissime instituisse, habeo compertum,<sup>41)</sup> praeter id vnum, quod censum quendam iis, qui canes alerent voluntatis causa, imperauit. Plora, qui volet, huiusmodi constitutionum exempla, is, velim, adeat auctores ad marginem nominatos.<sup>42)</sup>

De Saxonia vero mea, legibusque ibi ad hoc genus periculi ab humana salute auertendum scriptis, vt quaedam verba faciam, id iam opus est. Singulas leges non

40) V. L. G. FROHBERGER Briefe über Herrnhuth. Zittau. 1797.

41) V. Optimi R. Z. BECKERI Nationalz. Stück 21. 1798. p. 434. 469. 629. 636. et innumeris locis.

42) MEDERER Syntagma de rabie canina. Frib. 1783. 8. Ueber die Polizeyverfüg. wegen der tollen Hunde, im Journ. von u. für D. 1786. St. II. Archiv der Mediz. Poliz., I. 151. II. 153. III. 116. IV. 56. V. 80. Add. Vir. Excell. E. u. G. HEBENSTREIT Lehrsätze der Medico-Polizey-iss. L. 1791. 8. p. 180, ibique I. 1. anct. In cuius præstansissimi et saluberrimis præcepis, cum omnia placent, id vnum desidero, quod, quæ attulit consilia et cautiones, iis nondum vni satis videntur, qui legibus huiusmodi scribendis adhuc operam dederunt.

transscribo. Quod si vel nemini ab instituti ratione alienum videretur, quo minus faciam, multae sunt causae, quae prohibeant. Summam multarum sanctionum contractam consignasse, satis existimo. Ipsas leges cognoscere cupienti, adeundi sunt HAYMVS et RICHTERVS, SCHMIEDERVVS et SCHWARZIUS.<sup>42)</sup>

Haec igitur ita princeps SAXO: *Canum numerus, videndum est, ut imminuatur.* Quod qua ratione fieri debeat, lex ipsa praecipit. Nam solius voluptatis causa, non minus, quam ab hominibus, in fortuna tenui constitutis, canes ali prohibunt. *Canes, qui necessitate iubentur, ut ne libere sis in locis, qua vulgo iter fit, vogentur, id maxima cura prouidendum et ne viatoribus periculi quid ab illis immineat, curandum est.* Cura vero earum rerum supra magistratibus est mandata. Quorum ad provinciam pertinet, curare, ut carnificis familia, singulis annis bis, statis temporibus, rbiuum vicos et quaevis loca, vbi commeat, circumeat et captos abductosque canes dominis, nisi, depulso rabiei metu, praestitia poena legitima, non restituat. Neque vicorum magistri et nocturni custodes non sunt iubendi, viarum tutelae et arcendis id genus periculis operam dare, indicando eorum nomina, quibus vsus canum non necessarius, atque corripiendo bestias in rbiis regionibus libere errantes. Praeterea, ne vel ii, qui canum robore, vigilancia et fide carere nequeunt, in illis custodiendis tardiores sint et negligentiores, seuera comminati poena, iubentur, canes stipiti vel canistro adligare et ne causam querelae praebeant, diligenter videre. Libera vero canum discursatio, maxime in locis sylestribus, quoniam rei velatoriae non parum adfert damni, seuera interdicta lege, qua venatores, si quem canem in plagis venaticis libere vagantem adspicerint, igneis globulis traiectum occidere iubentur. Quam rem, neminem futuri puto, quin prober. Nam iniurias, quas paucissimas, vel nullas inter homines esse decet, ne in bestiis quidem locus relinquvi videtur. Lex enim non patitur, feras secure errantes, canum clamoribus vel excitari, vel morsibus fatigari. In qua re, si fas est, dicere, quod sentimus, illud vnum displiceret, quod, cum canes ferarum causa, non item hominum gratia, occidi iubentur, magis, ferarum quam hominum securitatem consultum videatur. Quod quam minime fieri debere, quanto est luculentius, eo magis optandum est, vt, quicquid iniuriarum a canum multitudine metuendum est homini, quod, mox constabit, quam sit infinitum, ab eo reddamus tui prorsus et securi. Denique, de *rabie canina*, quo periculum eius vel plane auertatur, vel certo, si quid acciderit, imminuatur, non docentur solum homines, eius rei ignari, furoris causas, et, unde cognoscatur, signa, sed singulari etiam cura remedia in lege illa proponuntur, quibus vsi homines, rabidorum canum morsibus vulnerati, et miserimae mortis pericula euadant, et, ne latius serpat malum, praeceaveant. Nec sunt non laudanda, quae de rabidorum canum persecutione, caede necessaria, aliquis ibi praescribuntur, quae, cum sint in vulgus nota, plenius enarrare non attinet.

Hae igitur sunt leges, ad quarum hodie normam, qui rbiuum politiae curandae sunt praefecti, omnia componere oportet — prudenti sane consilio latae et humanitatis plenae, que vitam, vel vilissimi hominis, in maximo habere pretio omniaque publicae salutis impedimenta remouere iubet. Singularis vero studii religione curaeque

42) HAYM, et RICHTER in *Dig. iur. Sax.* s. v. *Hunde.* SCHMIEDER. *Polizey, d. Ch. Sachsen.* T.I. p. 322. T.II. p. 834, 835. Potissimum leges hic pertinentes haec sunt: *Landr.* v. 1. Octob. 1555. Tit. *vom Jagen.* C. A. T.I. p. 10. *Mand.* v. 27. M. 1607. 8. Apr. 1629. 22. Jan. 1630. 15. Febr. 1659. 25. Jul. 1679. 24. M. 1686. 24. M. 1697. C. A. II. p. 543, 545. 553. 557. 559. 567. 593. *Mandat wider das Herumlaufen und die Wuth der Hunde,* v. 7. Sept. 1782. *Mandat wegen Einschränkung des Hundehaltens und der wider das freye Herumlaufen der Hunde und — Gefahr zu treffenden Vorkehrungen.* Vom 2. Apr. 1796.

solicitudine, si in vlla alia re, certe in ea opus essé, palam est, in qua, quam saepe parua scintilla si inuaserit in lignum vel aliam similem materiam, miras edat ruinas, nemo debet nescire et in qua plurimi plurimaeque sunt, neque de plebe homines, qui tum demum summam votorum consecuti videntur, si, quod in nulla lege fieri debuissest, istis se legibus, quas disputamus, solutos animaduerterent. In quam rem, quamquam multa utiliter possent disputari, ex quibus de vi harum legum iudicari posset, et in vita communi potestate, ea tamen, qui cogitauerit esse nimis multa, eodem ego patriis legibus, civilis prudentiae et humanitatis plane singularis laude quam maxime dignis, hunc adscribo epilogum, quo nescio an non quidquam adscribi possit verius, ne dicam tristius:

*Quid leges sine moribus vanae proficiunt?*

*Nam nunc mores nihil faciunt, quod licet, nisi, quod liber,*

*Ambitio iam more sancta est, libera est a legibus.*

*Mores leges iam perduxerunt in potestatem suam.*

*Magis quis sunt obnoxii, quam parentes liberis.*

*Eae miserae etiam ad parietes sunt fixae clavis ferreis,*

*Vbi malos mores affigi nimis fuerat aequis. 43)*

Haec habui, quae de cauendis dannis a canibus metuendis, ex ipsis legibus conquisita atque digesta, literis hoc tempore proderem, in quibus, si quaedam praeteriisse aut nonnunquam lapsus esse videar, spero apud aequos lectores paratam mihi fore veniam, multa paruo libello atque breui, quod res meae postulare videbantur, spatio complecti cipiunt. Reliquum est, vt de his dannis praestans et reliquis, quae supra dixi hic pertinere, disseram, quod proxime sum facturus. Nunc accedo ad illud indicandum, quod laetam huic prolusioni occasionem dedit. Nam praecepui quandam et plane singularem laetitiam attulit mihi Serenissimus Princeps, Elector Saxo, FRIDERICVS AVGVSTVS, munere, ius extra ordinem in hac Academia profitendi, in me indulgentissime collato. Cuius beneficii magnitudinem et praestantiam, quanto maiori pietatis sensu animus veneratur: eo idem magis eniti ac contendere se debere intelligit, vt aliqua saltem ex parte SYMMI PRINCIPIS de me opinionem rebus ipsis confirmet et huius de meis rebus iudicii honorem conseruet ac tueatur. Ad quam rem, arduam licet et perdifficilem studiosissime constantissime que perficiendam, me, si non idoneum, esse tamen paratissimum, vt hac tabula omnibus omni adseueratione confirmo, ita proximo d. Merc. oratione de *Iurisprudenciae ecclesiasticae fructibus*, auspiciandi muneri causa, recitata, palam significabo, simulque pia vota pro perpetua OPTIMI PRINCIPIS, DOMVS AVGVSTAET et AMICO-RVM EIVS ILLVSTRISSIMORVM ac SAPIENTISSLIMORVM salute et incolumente nuncupabo. Cuius meae religionis et pietatis, vt tanto sollemnior sit et illustrior significatio, RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, COMITES ILLVSTRISSIMOS, PROCERES VTRIVSQUE REIPUBLICAE GRAVISSIMOS, COMMILITONES denique GENEROSISSIMOS et ORNATISSIMOS, velint dicto die in aede Iurisconsultorum adesse suaque praesentiae beneficio, huius diei splendorem augere, obseruantissimis precibus rogo.

P. P. In Vniuersitate litterarum Lipsica, die domin. XVI. post Trinitatis F. A. C. c130CCXCVIII.

43) HORAT. Carm. Lib. III. od. 24. PLAVT. Trinumm. IV. 3. 25.



S6.





1790.  
1798, 13.

OBSERVATIONES  
EDICTO VIARIO  
AEDILIVM CVRVLIVM  
ADSPERSAE

